





EX LIBRIS  
ILLVSTRISSIMI VIRI,  
DN. DAN. LVDOLPHI,  
LIB. BAR. de DANCKELMANN;  
S. REG. MAI. BORVSS. CONSILIARII  
STATVS INTIMI, cetera,  
BIBLIOTHECÆ ACAD. FRIDERICIANÆ  
TESTAMENTO RELICTIS.

Et. 29.  
Ei. 29



IANI KOTTERITI  
EQ. SAX.

DISTICHON ETE  
OSTICHON

EICOSIPEMPTADES  
DVAE.

Addita alia quaedam eiusdem  
poëmatia.




SERVESTÆ,

Anno aerae nostratis

∞. .b. MXC.







ILLVSTRISS. GEN-  
NEROSISS. ET AD  
OMNIA SVMMA NATO  
HEROI, D. IOHANNI GEORGIO,  
Pr. Anhaltino, comiti Ascaniae, Seruestae,  
& Bernburgi Domino, Dn. meo  
Clementissimo.

*SANGVINIS antiqui, & celebris famae, inclute Princeps,  
Hoc tibi devotae suscipe mentis opus.  
Non equidem magnum, neq; tantò nomine dignum est,  
Quò tuus ad caeli summa levatur honos.  
Sed sese exiguum sub castâ laude fatetur;  
Quod saepe & parvis gratia rebus adest.  
Non semper summo praebent ferienda Tonanti  
Colla boves; quando & vilior agna cadit.  
Nec tamen exileis ille averfatur honoris;  
Accipit, & magni muneris instar habet.  
Divinò ergò tibi exemplò non respue nostrâ  
Quae sacra ante aras victima caesa manu est.  
Sic rutili adspirent tibi prospera Numina celi,  
Et dent, quae niveâ laude merere tua.*

*Cels. T.  
devotus.*

**Ianus Kotteritius.**

**A 2**

**DISTL**



DISTICHON ETHEOSTI  
CHON EICOSIPEM-  
ptas Prima. ;



NNVS natalis, sapientiss. Pr. Ioachi-  
mo Ernesto, Pr. Anhaltino.

∞ .Ib. XXXVI.

*Prodiit in superas auras stirpe Ascane Princeps,  
Quo nec ad arctos acrior exstat aquas.*

ALITER.

Mense ac die additis.

A. D. XIII. KL. Nouemb. Iuliani.

*Bis dena Octobris iubar in cunabula sparsit*

*Principi Anhaltino ; thus graue in igne crepet.*

Annus geniturae, potentissimo Elect. Sax.  
Diuo Christiano.

∞ Ib. LX.

*Dis genite, & geniture Deos, salue inclute sanguis ;  
Ut spirat cunis lux tibi clara tuis ?*

ALITER.

Mense & die adiectis.

A. D. V. KL. IX br. Iulianas.

*Bis quarta Octobris Lux, & vigesima, pictas*

*Instruxit, herois ter incluti, cunas.*

Annus natiuitatis illustriss. D. Ioh.  
Georgio, generosiss. Pr. Anhaltino.

∞ .Ib. LXVII.

*Ocia ducat ager, laetenturque oppida, Princeps  
Nunc pius augustis ortu sese extulit auris.*

ALI-



ALITER.

Mense adiuncto, ac die.

A. D. EID, Maij Iuliani, VIII.

*Sol octauus vbi Maiali fulsit in axe,*

*Purpureas tu auras, Celique alta ipse salutas.*

Annus genethliacus magnanimo ac  
fortis heroi, D. Christiano, Pr.

Anhaldino. ∞. Id. LXIIX.

*Vraniae cultor, Bellonae & viuuda virtus*

*Nascitur, heu! puris lux operanda iocis!*

ALITER.

Mense ac die additis,

A. D. V. EID. Maias Iulianas.

*Trinaque & octaua vt rutilabat in aureo Olympo*

*Lux, tunc vitaleis, Christiane, es natus in auras.*

Annus, quo illustris D. Bernhartus, D.

Pr. Anhaldinus, natus fuit.

∞. Id. LXXI.

*Ascaniae princeps gentis, de sanguine noto*

*Nascitur, ac aethrae celsa theatra videt.*

ALITER.

Adiunctis mense ac die.

A. D. VIII. KL, IIX br. Iuliani.

*Celo octona dies Octobris inante Kalendas,*

*Bernharte, cunas in tuas sese intulit.*

Annus, D. Augusto, illustri Anhal-  
di no Pr. natalitius.

∞. Id. LXXV.



*Illustris heros a potente nomine  
Tollit caput, celoque sereno nascitur.*

**ALITER.**

**Mense adiecto, & die.**

**A. D. III. EID. Iulias Caianas.**

*Terna ac dena dies processit Iulij in aureis  
Aurorae habenis; care nasceris Princeps.*

**Annus, quo illustris D. Rodolphus, Pr.  
Anhaltinus est natus ∞. I. LXXVI.**

*Aetherias heros sese effert pronus in oras,  
Nomine; quali ipse est Induperator ovans.*

**ALITER.**

**Mense & die adscriptis.**

**A. D. V. K L. IXbr. Iuliani.**

*Bis dena, & bis quarta aurora Octobris, ab alto  
Polchra nitet cunis, belle Rodolphe, tuis.*

**Annus natiuitatis illustri D. Ioachimo  
Ernesto F. Pr. Anhaltino.**

**∞. I. LXXVIII.**

*Vt te alti celi, Ioachime Erneste, sub auras  
Tollis, aperto Atlas pellit ab orbe niueis.*

**ALITER.**

**Mense addito, & die.**

**A. D. Pr. K L. Maiar. Iulianarum.**

*Aprilis extrema in tuas cito se agit,  
Cunas croceis, Princeps, rotis.*

**Anni aera, qui natalis est D. Lodouico,  
illustri Anhaltino Principi.**

**∞. I. LXXIX.**

*Inspi-*



*Inspicit e nitidi celi regione, salutatque,  
Atlas nataleis, o Lodouice, tuos.*

**Annus Iano Gulielmio fatalis.**

∞. **Io. XVIC.**

*Te puppis Phoebea suo spoliata Magistrò,  
Iane, procellosò nunc fluctuat aequore late.*

**ALITER.**

*Grata chori nostri, proh! desinis esse vt in orbe hoc,  
Quae stetit in te unò, nunc cadit illa, salus.*

**Et rursus.**

*Tabeo moestitia, ac te pullà lugeo longá,  
Ipse neque hoc solus, set quoque Pallas agit.*

**Annus conditae Annaebergae.**

∞. **CCCC. XCIIX.**

*Exstruitur puras urbs clara & celsa sub auras  
Fertilis illa bonis Mater ab ingenis.*

**ALITER.**

*Culta metalliferis vrbs Annaeberga latebris,  
Ausa est ex terra suave levare caput.*

**Et rursus.**

*Peliaci est iuxta radiceis condita, sacris  
Vrbs vsque a geniis, ingenisque probis.*

**Annus denati D. Lutheri. ∞. Io. XLVI.**

*Pontifici pauor, & Monachis, Lutherus, acerba  
Vsque lues obijt; Papae allaetantur ovantes.*

**ALITER.**

**Mense addito, & die.**

**A. D. XI. KL. Martias Iulianas.**

*Februa dena octava dies, fatalis erat lux  
Luthero, celi turba quiritat in hac.*

**A 4**

**DI**



**DISTICHON ETEOSTI-**  
**chon Eicosipemptas secunda.**

**Annus, quô obijt Carolus Sigo-**  
**nus.**

∞. I. LXXXIV.

*Proh dolor ! hęc Clarius Sigonius occidit annô !*

*Heu ! qualis parva est Phoebe ruina tibi ?*

**Annus liberationis magni illius Peu-**  
**ceri, ex bilustri custodia.**

∞. I. XIVC.

*Rursus, in has liber puras grati aetheris auras,*

*Peucerus prodit de carcere, gloria celo.*

**ALITER.**

*Extrahit è tenebris, caecâ & caligine terrae*

*Peucerum, sacrâ Ioua benignus ope.*

**Et rursus,**

*Redderis obscurô pie nobis carcere, Peucer ;*

*Gratantur iuuenes tale, senesque tibi hoc.*

**Et rursus,**

**Mense ac die adscriptis.**

**A. D. VI. EID. Febr. Iuliani.**

*Sol bis quartus erat feralis Mensis in orbe*

*Eoô, & Peucer vincula nulla capit.*

**Annus, mensis & dies, obitûs D. Au-**  
**gusti, Elect. Sax. P. P.**

**A. D. III. EID. Febr. Iul.**

∞. I. XIVC.

*Tres soles fugiunt feralis Mensis & octo ;*

*Hei ! necis Augustus falce resectus obit.*

**ALI-**



ALITER.

Teutones, hei! vlulant ac moerent, Principe casti,  
Solareis Februus treis vt & octo rotat.  
Infructuosus & sterilis annus,  
∞. Io. XC.

Ex aestu nimiô fuligo tangit aristas,  
Agri arent, urit torrida bruta sitis.

ALITER.

Sol exsiccat aquas, laetâ neque messis in herbâ est,  
Ac sitit ore suo lata per arua pecus.

Et rursus.

Aestus findit agros, & sicca canicula frugeis  
Ante dieis torret, ceruus aquis inhiat.

Annus, Ioh. Georgio, Comiti de Ly-  
natô fatalis. ∞. Io. XC.

Te Parca ex polchris sub iura vocat sua cunis;  
Et nimis à carô patre abes appropere.

Aliter, cum adiuncto mense.

Pictus obire facit ~~in~~ Maius, Ianule Georgi,  
Qui vireis horto crescere, agrôque facit.

Et rursus, Mense ac die

additis. A. D. IX. K L. Iun. Iul.

Octo tu inante dieis Iunij, puer occidis, ehei!  
Iane Georgi, altôs ciuis inisque chorôs.

Et rursus, horâ insuper indicatâ.

Vespera erat quarta hora, diesque erat ante Calendas  
Octauus Iunij, clare puella labas.

Annus expeditionis in Gallias, praefectô  
militum D. Christianô, fortissimô Heroë,  
& Pr. Anhaltino. ∞. Io, XCI.



*Pugnare in Gallos it Princeps dius; hiiſce,  
Deprecor, inceptis auxiliare, Iova.*

**A L I T E R.**

*Sanguis Anhaldinus; belloque ac fortibus auſid  
Illuſtris, Gallos fert debellare ſuperbos.*

**Et ruruſus.**

*Gallia, quae regis interni fraena repulſas,  
Nunc diſce, externò ſubdere colla iugo.*

**Et ruruſus.**

*Heros i Chriſtiane, vocat quò te incluta virtus,  
Et bellò ſupera Gallos, animoſque reſraena.*

**Et ruruſus;**

*Te quippe ex cunctis Ares ſelegerat unum  
Heroa in Gallos, o Chriſtiane, truceis.*

**Annus denati Sax. Electoris, Diui D.  
Chriſtiani, P. P. & B. Principis.**

**∞. I. IX C.**

*Hei! princeps Chriſtiani orbis, Chriſtianus obivit;  
Inque ſcholis triſteis peperit, templiſque querelas.*

**Aliter, mense adiectò, & die,**

**A. D. VII. KL. IIXbr. Iuliani.**

*Quinta, o hei! bis denaque erat Septembris ab ortu,  
Ex obitu plorat patria terra ſuo.*

**Annus pompoſae eiufdem divini Electo-  
ris ſepulturae.**

**∞. I. XCI**

*Ergo p̄ exſuuias Chriſtiani, patria tellus  
Accipit gremiò putri, & hiantè locò?*

**Aliter**



**Aliter, Mense additô.**

*Sarcophago October tradit tua funera coeco;*

*Vt tibi terra levis, dux Christiane, rogo.*

**Et rursus,**

**Mense ac die adscriptis.**

**A. D. VII. KL. IXbr. Iulianas.**

*Lux venit infausta Octobris vigesima sexta,*

*Principis & celsi contegit ossa lapis.*

**Annus, Divo D. Ioh. Casimiro, D. Palati-**  
**no Com. & Pal. VII. Vir admin. fatalis.**

**∞. Io. XCII.**

*Rhenicolae populi, hei! illustris principis, aegri &*

*Interitus querulô pectore triste gemunt.*

**Diui**

iter



Diui Elect. & P. P. Christiani, poten-  
tiss. piitiss. que Sax. Ducis, ac beati  
Principis, Taphos.

*Nobilibus meritis & diò stemmate Princeps,  
Hac, Christiane, iaces contumulatus humò.  
Moesta tuum ad tumulũ Pietas, querulaeq; sorores,  
Pulcatae lugent; hinc Themis, inde Fides.  
Nam te unum plorant, & tristi voce requirunt,  
Ut matrem amissam quaeritat orba cohors.  
Gratam abs Te requiem, ac dulce oblectamẽ habebãt;  
Qui nostrò fueras arbor, & umbra solò.  
Sub quã Pontificum poterant vitare furorem,  
Et Fabri technas, Illyricique dolum.  
Flos Christiane ducum, Christianorumque corona,  
Salve, o! perpetuum; perpetuumque vale!*

Donat. nobiliss. Arahamo Beellino, Eq.  
March. imaginem, D. herois, Christiani  
illustriss. Sax. VII. viri. & summi  
ducis.

*Diuinam effigiem, diuini Principis, abs me  
Accipe sis, animi cura, Abrahamæ, mei.  
Inclusam exiguo Heroa orbiculo aspicias istum,  
Quẽ triplex magni non capit orbis iter.*

*Egredia*



Egreditur namque, adscenditque ipsa ardua Olympi  
Laudibus, adque Deis mixtus in aethere agit.  
Sic nucis haut amplò contentum cortice, summi  
Moeonij Iliada, industriâ ab arte, ferunt.

Sub effigiem Eberharti a VVeihe no-  
biliss. & clariss. IC.

Quisnam hominũ egregias virtuteis exprimat istas,  
Queis sacrò grauidus pectore VVeibus orat?  
Haut Phidiae exsculptoris erit labor improbus; et si  
Ad vivum expressit frontem, oculosque viri.  
Non tamen ingenii, florentis ab omnigenâ arte,  
Multiplicis doteis effigiare pote est.  
Est opus, ut dignum praeconem hõc nomine quaerã;  
Quei quaeram? praeco qui cluit ipse suus.  
Quippe utriusque axis sublimi vertice pulsat  
Sidera, per geminam Pallada, perque Themis.  
Adde, quod & clari mensuram nominis implet,  
Ac magnas patrii stemmatis auget opes.

Ad



Ad Adamum Th. Siberum, de  
I. Lipsii pictâ effigie.

Si quem immortales superi ex mortalibus umquam  
Non fortunatum, siue beatulum habent.  
Ut contingat ei, vivum propè cernere Iustum  
Lipsium; iò heic pictum conspicit in tabulâ.  
Lumina in hóc pascat cupida, & mentem expleat  
Et desiderium sistat ab arte suum. (omnem,  
O! quam humani oris cultissima spirat imago!  
Quam repraesentat optima frons hilaris.  
O! haec muta viri effigies si splendida praestet;  
Quamta sit in vivâ gratia? quale decus?  
Pro carâ ergo tibi gazâ, Theodore, tabellam  
Credo esse hanc, pictae ex Calliopâ subolis,  
Lipsii. ab humanô cui nullum semine possum  
Conferre, ex Divis vix reperire parem.

In quemdam atheum pa-  
storem.

Exsul Aristoteles nostrâ a pietate faceffat,  
Adque tibi cedat, spiritus alme, locum.  
Qui sapis, ante alios amplectere Biblia libros,  
Rebus & inde sacris sola medella fluat.  
Non tibi Aristoteles hili, non unius asis  
Profuerit, non si, venerit ipse Plato.

Si



*Si miserae quaeras animae solatia certa;  
Quamlibet in Sophiâ magnus uterque fuit.  
Scilicet his gaudet vani sapientia mundi,  
Set non post vitam hanc, quae cluet aetheria.  
At, quantum iudicio ipse mihi, Bolgange, fuisti;  
Tesmiphora hesternos quom stetit ante scyphos;  
Docta Stagiritae ponis scita, ante salutem,  
Largô quam fundunt Biblia fonte piis.  
Ergo tibi sit Aristoteles firma anchora & aura;  
Quem tamen a nullâ parte vel arte sapis,  
Sicut heri inflatô iactavisti ore, poëtam  
Bersmanum & dixisti vincere carminibus.  
Hei mihi! nunc corvo Philomelam cedere cantu,  
Et cuculis cygnos, Ocypetaeque Charin.  
Me sacra me mancant in rebus Biblia sacris;  
Adque Stagiritae debitus exstet honos.*

I. Kotteritius  
Eq. Sax.































Q 1064

f

ULB Halle 3  
004 975 979



IA 70L

VD 77

m. 15.





3  
18  
u  
1


*[Faint, mostly illegible handwritten text in Gothic script]*

Datum et actum Norwiburgi anno  
in ipius D. Comitis. iohanni per scriptibus reuerentis

Dispositum  
Norwiburgi







B.I.G.

Farbkarte #13

IANI KOTTERITI  
EQ. SAX.  
DISTICHON ETE  
OSTICHON  
EICOSIPEMPTADES  
DVAE.

Handwritten numbers: 13 and 2623

Addita alia quaedam eiusdem  
poëmatia.



SERV EST Æ,  
Anno aerae nostratis  
MDCCLXXC.